

MICHAEL BRLEK, O.F.M.

CONVENTUS S. FRANCISCI RAGUSII (DUBROVNIK)

HISTORICA LINEAMENTA

Conventus S. Francisci Ragusii (Dubrovnik), inter conventus Ordinis Fratrum Minorum in Dalmatia (Croatia), sub aliquibus aspectibus, certe eminent. Ob condiciones geographicas et politicas Reipublicae Ragusinae¹, praesertim tempore maxime expansionis territorialis imperii Turcarum in Occidente, influxus et momentum huius conventus pro paeninsulae Haemi christianis et ultra, documentis et argumentis confirmatur. Condicio Reipublicae Ragusinae similis erat hodiernae conditioni civitatum Macao et Hong-Kong relate ad Sinas et alias nationes. Respublica Ragusina intermediaria erat, per quatuor fere saecula, inter nationes christianas et imperii turcici partes occidentales. Sufficit simplici visione tabulas geographicas saec. XV-XVIII inspicere, indices legationum (*consolati*), quas varii Status in Republica et Respublica apud Status et civitates² habebat, percurrere ut res immediate pateat. Tramite civium notitiae de intentionibus et praeparationibus militaribus Turcarum ad gubernia nationum mittebantur³. Libertas navigandi et commercium sub determinatis conditionibus (tributo annuali, donis etc.) in imperio turcico exercendi, Rempublicam notam et divitem fecere, praesertim saeculis XVI-XVII usque ad gravem terraemotum an. 1667, post quem lento et inexorabili regressu ad occasum et interitum, ab imperatore Napoleone per decretum an. 1808 sancitum, pervenit.

In Republica Ragusina inter Scyllam et Charybdim navigante, conventus Fratrum Praedicatorum et Fratrum Minorum magna auc-

¹ Cf. *Ragusa* (in croato *Dubrovnik*), in *Enciclopedia italiana* XXVIII, Roma 1935, 781-783; A. MATANIĆ, *Ragusa (Dubrovnik)*, in *Enciclopedia cattolica* X, Città del Vaticano 1953, 496-498; *Dubrovnik*, in *Enciklopedija Jugoslavije* III, Zagreb 1958, 123-157 cum copiosa bibliographia.

² De legationibus (*consolati*) in Hispania et Lusitania cf. I. MIRIĆ, *Dubrovački konzulati u Spaniji i Portugalu*, in *Anali Historijskog Instituta u Dubrovniku* VIII-IX, Dubrovnik 1962, 597-619 cum summario in lingua gallica (*ibid.*, 620).

³ Cf. I. DUČEV, *Avvisi di Ragusa. Documenti sull'Impero Turco nel secolo XVII e sulla guerra di Candia*, Roma 1935.

toritate pollebant ratione vitae religiosae, ratione ingressus non paucorum nobilium in hos duos Ordines, ratione experientiae in rebus gerendis decursu temporum acquisitae et ratione protectionis qua, saepe in detrimentum libertatis ecclesiasticae, gaudebant⁴.

In conventu Fratrum Minorum Minister Provincialis Provinciae Ragusinae residebat (1517-1899) et post unionem cum Provincia S. Hieronymi, etiam Minister Provincialis Provinciae S. Hieronymi, immediate post primum et post secundum bellum mundiale, ibi sedem posuit.

Fontes et bibliographia

Historiam conventus momentosam et complexam synthesi redigere, facile non est ob copiam documentorum et litteraturae et multipliciter argumentorum, nam historia completa conventus comprehendere deberet praeter historiam generalem etiam investigationem de novitiatu, de studiis gymnasialibus, ac praesertim philosophicis et theologicis, quae in conventu locum habuere; de bibliotheca et archivo, etiam extra limites nationis, inter investigatores scientificos notis; de activitate oratoria, pastorali, missionali in territorio Turcis subiecto; de missionibus diplomaticis nomine Reipublicae a fratribus peractis; de laboribus scientificis et litterariis; de fratribus vitae franciscanae exemplo et sanctitate eminentibus; de scriptoribus et viris illustribus, praecipue episcopis; de valetudinario, pharmacopolio et lanificio; de structura architectonica ecclesiae et conventus, praesertim de claustrum arte praecellenti; de operibus artis ibidem servatis.

De argumentis enumeratis existit bibliographia generalis, pro maiore parte argumentorum etiam specialis. Praeter opera generalia et elucubrationes speciales typis editas, notitiae et notae pretiosae inveniuntur in libris, ephemeridibus et collectionibus de rebus ragusinis obiter vel ex professo tractantibus. Multa vero, ne dicamus maior pars, inedita in latebris archivorum abscondita investigatorem sollertem et editorem munificum expectant. In archivo conventus servatur archivum Provinciae olim Ragusinae, in quo eminent *Acta et decreta Capitulum ac Congregationum Provincialium ab an. 1649-1897* (7 voll.). In bibliotheca habentur manuscripta fratrum, manuscripta auctorum Ragusinorum aliorumque. In Archivu Status (Dubrovački Državni Arhiv) remanserunt libri officiales Reipublicae Ragusinae,

⁴ Cf. K. VOJNOVIĆ, *Crkva i država dubrovačkoj Republici*, in *Rad Jug.Akad.*, vol. 119, Zagreb 1894, 32-142 et vol. 121, *ibid.* 1895, 1-91; M. NOVAK, *Organizacija vlasti i odnos Crkve i države u Dubrovniku u XVIII stoljeću*, in *Anali Historijskog Instituta u Dubrovniku VIII-IX*, Dubrovnik 1962, 413-438.

scilicet *Acta Maioris et Minoris Consilii, Libri Reformationum, Litterae et Commissiones* (ab. an. 1359-1802, 298 voll.), quarum aliae usque ad an. 1566 Orientem et Occidentem, deinde aliae Orientem, aliae occidentales partes Europae respiciunt. Volumina ista continent copias litterarum officialium, inter quas recensentur litterae ad SS. Pontifices, reges, cardinales, respublicas, civitates, episcopos et alios missae. Plures inveniuntur ad Fratres Minores, eorum Ministros et Vicarios Generales aliosque directae, commissiones datae, instructiones, res eventusque varios quoad Fratres Minores explanantes: in ipsis varia quam plurima leguntur quae ad fratres Ragusinos et moniales S. Clarae ibidem existentes spectant, quarum ab an. 1379-1541 editionem P. Benvenutus Rode, bonae memoriae, sub titulo *Documenta franciscana Ragusina*, curavit⁵.

Aliis pariter in collectionibus officialibus Reipublicae, v.g. *Testamenta* (an. 1282-1815, 142 voll.), *Fabricae* (1519-1799, 140 voll.), *Fraternitates* (1416-1811, 118 voll.), *Ecclesiae et monasteria* (1335-1833, 47 voll.) ceterisque documenta conventum Ragusinum et Fratres Minores respicientia reperiuntur⁶. Paucae sunt collectiones actorum Reipublicae in quibus de Fratribus Minoribus non agitur. Insuper audeo affirmare quod tantum exigua pars documentorum et notitiarum in archivo Reipublicae Ragusinae, archivo Dioecesis Ragusinae, archivo Dioecesis Tribunensis⁷, archivo Provinciae olim Ragusinae, archivo Ordinis Fratrum Minorum et in archivis Vaticano, Veneto, Vindobonensi, Constantinopolitano, Neapolitano et alibi servatorum, ab investigatoribus scientificis, in studiis et elucubrationibus, praesertim lingua latina, croatica, italica et germanica publici iuris factae sunt.

In praesenti studio synthesim studiorum et elucubrationum cum bibliographia principali et recentiore redigere conati sumus, ad lineamenta historica conventus delineanda. Non desunt tamen aliqua quae hic prima vice in lucem prodeunt, nam per decennium (1941-1952) munere bibliothecarii et archivistae conventus Ragusini functi sumus.

Praeter documenta franciscana Ragusina ex *Litterae et Commissiones*, benemeritus pater B. Rode edidit notisque utilissimis illustra-

⁵ B. RODE, O.F.M., *Documenti Francescani di Ragusa*, in *Miscellanea Franciscana* 13 (1911) 144-155; 14(1912-1913) 14-26, 54-66, 119-128, 170-192; 15(1914) 49-54, 79-83, 111-114, 177-180; 16(1915) 44-52, 149-152. In fine legitur: (Continua), sed continuatio non datur. - Servantur litterae ad S. Joannem Capistranum die 11 sept. 1431; fr. Jacobum de Marchia an. 1436 etc. Cf. B. Bernardini Aquilani *Chronica Fratrum Minorum Observantiae*, ed. Fr. L. Lemmens, O.F.M., Romae 1902. In cc. 29-32, pp. 96-111 vicissitudines conventus et fratrum Ragusinatorum ab an. 1464-1468 illustrat.

⁶ Cf. V. FORETIĆ, *Državni Arhiv u Dubrovniku*, in *Historijski Zbornik*, Zagreb 1951; V. FORETIĆ, *Dubrovački Arhiv u Srednjem vijeku*, in *Anali Hist.Inst. u Dubrovniku* VI-VII, Dubrovnik 1959, 315-336.

⁷ Archivum Dioecesis Tribunensis-Mercanensis servatur in archivo Dioecesis Ragusinae.

vit *Necrologium Fratrum Minorum de Observantia Provinciae S.P. Francisci Ragusii*, quod prodiit in *Analecta Franciscana* VI, Ad Claras Aquas 1917, 393-600. Post praefationem nonnulla de Provincia eiusque conventibus narrantur, tunc sequitur *Necrologium* (hic refertur sub abbreviatione *Necr.*) a sex patribus redactum successive, scilicet a P. Sebastiano Dolci-Slade (1699-1777), P. L. Radić, P. A. Marković, P. I.E. Kuzmić, P. Candido Mariotti, et recenter a P. U. Taliija. De primis religiosis usque ad finem saeculi XVI pauca et undequaque collecta inveniuntur, postea necrologium vitas fratrum praebet. Comprehendit tempus ab an. 1233 usque ad an. 1882. Notae, addenda et corrigenda P. B. Rode opus complent, sed post elucubrationes, studia et textus ab an. 1917 editos, denuo non pauca corrigenda et complenda sunt.

In conventu servantur duo manuscripta de historia Provinciae et conventus tractantia. P. Hyacinthus Tvrtkocić (1640-1694) an. 1692 Stagnensis episcopus electus et die 13 apr. 1693 a S. Pontifice confirmatus⁸, conscripsit *Origo et progressus primo Custodiae, deinde huius Minorum de Observantia S.P.N. Francisci Ragusinae Provinciae, necnon enarratio fidelis et veridica constructionis Conventuum etc., Ragusii 1681.*

P. Laurentius Cekinić († 1752) in sua *Istoria e privilegi della Osservante Provincia di Ragusa, raccolti da diversi luoghi, e posti qui in un volume*, Ragusa 1741 ex variis documentis, libris, praesertim vero ex Archivo Reipublicae non pauca excerptis⁹.

Prima historia Provinciae typis edita est a P. S. Dolci-Slade sub titulo *Monumenta historica Provinciae Rhacusinae Ordinis Minorum S.P.N. Francisci*. Notis criticis et chronologicis perpetuo illustrata etc., Neapoli 1746. Opus hodie rarum, eventus usque ad an. 1707 exponit. In praefatione rationes et causae operis describuntur:

« Prima quidem fuit [scilicet causa] ipsamet historiae utilitas; nulla enim alia literarum pars, vel ad virtutem allicit, vel a vitiis amovet magis; utpote ea, quae dignitatem illius, horum inhonestatem ponit ob oculos in alienis gestis, exemplisque. Altera vero, quod cum turpe sit quique viro, ut Iustinus historicus ait, nescire, quam regionem incolat, quomodo ad ipsam pervenerit, et ex quibus maioribus ortus sit suppudivit me, quod ignorarem quam originem, quot, quosve illustres viros, quaeve incrementa Religionis ille coetus habuerit, cui vix XIV aetatis meae emensus annum nomen dedi »¹⁰.

⁸ C. EUBEL, O.F.M.Conv., *Hierarchia catholica medii aevi* V, ed. R. RITZLER - P. SEFRIN, Patavii 1952, 363: « Hyacinthus Tuartkovich O.F.M.Obs. 13 apr. 1693 (*Acta Camerarii* 24, f.47) ». *Necr.* n.543, p.451.

⁹ *Necr.* n.679, p.466, 579. Cf. M. BRLEK, *Rukopisi Knjižnice Male Braće u Dubrovniku I*, Zagreb 1952, 11, 14, 26, 27, 29, 30, 33-35, 74, 162, 185-187, 246, 250, 251.

¹⁰ S. DOLCI-SLADE, *Monumenta historica*, p.10.

De scriptoribus Provinciae et conventus P. Dolci-Slade notitias prae-
buit in opere *Fasti litterario-Ragusini sive virorum litteratorum, qui
usque ad an. 1766, in Ragusina claruerunt ditone, prospectus alpha-
betico ordine exhibitus et notis illustratus* etc., Venetiis 1767¹¹.

In archivo generali Ordinis Fratrum Minorum Romae inveniun-
tur *Compendium historico-chronologicum FF. Minorum de Obs. Prov.
Rhacusinae S. Francisci (1765-1837)*, scriptum an. 1838¹². Inter *Rela-
tiones Provinciarum O.F.M.* dantur et *Relationes Provinciae Ragusinae*
pro Capitulo Generali an. 1856 et pro Capitulo generali an. 1862¹³.

P. Donatus Fabianich in *Storia dei Frati Minori dai primordii della
loro istituzione in Dalmazia e Bossina fino ai giorni nostri*, 2 voll.,
Zara 1863-1864, exponit in primo volumine etiam historiam Provinciae
Ragusinae, in secundo vero illustrat historiam conventuum, praecipue
Ragusini (II, 184-214).

Ab historia P. S. Dolci-Slade dependet brevis conspectus histori-
cus a P. I.E. Kuzmić exaratus, videlicet *Cenni storici sui Minori Os-
servanti di Ragusa*, Trieste 1864. Post an. 1707 est continuatio auctoris
propria¹⁴. Brevem conspectum, proh dolor non criticum, historiae
conventus, artis et activitatis redegit P. F. Jurić¹⁵. *Schematismus seu
status localis et personalis Provinciae Franciscanae S. Hieronymi
in Dalmatia et Histria a.D. 1959 descriptus*, Romae 1959, a P. A. Ma-
tanić curatus et editus, breves notitias de Provincia et conventu
continet.

Fodina notitiarum et documentorum sunt L. Wadding, *Annales
Minorum*¹⁶, collectiones Zagabriensis Academiae scientiarum et artium
Slavorum meridionalium ab an. 1867, imprimis *Monumenta spectan-*

¹¹ Cf. M. PANTIĆ, *Sebastijan Slade-Dolci, aubrovački biograf XVIII veka*, Beograd 1957, 39-140. De scriptoribus conventus et Provinciae scripsit et M. APPENDINI, *Notizie istorico-critiche sulle antichità, storia e letteratura de' Ragusei, divise in due tomi*, Ragusa 1802-1803, passim.

¹² *Archivum Generale O.F.M.*, t.48, f.1-17v (mss.). *Compendium* scriptum est a P. I. Ciulich. Cf. B. PANŽIĆ, O.F.M., *Les Archives générales de l'Ordre des Frères-Mineurs*, in *Archivum*. Revue international publiée sous les auspices de Conseil international des Archives, Paris 1954, 163.

¹³ *Archivum Generale O.F.M.*, t.5, f.83r-93r: *Origo, progressus et vicissitudines Ragusinae Provinciae Ordinis Minorum ab Observantia* et f.120r-131r: *Brevi e Pontificie dispense riguardanti la Provincia dei Francescani Minori Osservanti di Ragusa* (relatio scripta pro Cap. Gli. an. 1856), necnon f.94r-118r: *Provincia di Ragusa* (relatio scripta pro Cap. Gli. an. 1862) (cf. PANDŽIĆ, *op. cit.*, 162). Cf. etiam Mss. *Dalmatia. Ragusa*, I (1847-1886) f.1r-927v et II (1887-1898), f.1r-599 in quibus inveniuntur relationes et litterae.

¹⁴ De I.E. Kuzmić, cf. *Necr.* n. 905, p.561-562; S. BRUSINA, *I.E. Kuzmić*. Biografičke crtice, Zagreb 1881; S. ŠILOVIĆ, *Franjevačka ljekarna u Dubrovniku*, in *Vjesnik Hrv.Slav.Dal. Zemaljskog Arkiva* 15(1913) 295-298.

¹⁵ F. JURIĆ, *Vodj po Franjevačkom Samostanu Male Braće u Dubrovniku*, Dubrovnik 1921.

¹⁶ L. WADDING, *Annales Minorum*, 31 voll. (ab initio ad an. 1670), Ad Claras Aquas-Romae 1933-1956; FRANCISCUS GONZAGA, *De origine seraphicae Religionis...*, Romae 1587, p.482-485.

*tia historiam Slavorum meridionalium, Monumenta historico-iuridica Slavorum meridionalium, Codex diplomaticus, Starine, Stari pisci hrvatski etc.*¹⁷.

Pro ulteriore bibliographia consulenda sunt opera relata P. B. Rode, P. F. Jurić, P. M. Brlek, M. Pantić, elucubrationes P. J. Velnić aliorumque de rebus Ragusinis scribentibus, praesertim illorum qui in Annalibus Instituti Historici Ragusini investigationes publici iuris faciunt¹⁸.

In elaboratione et expositione argumentorum difficultas oritur distinguendo inter historiam Custodiae, Vicariae pro Observantibus, in Provincia Ragusina et historiam conventus S. Francisci; non est facile in singulis casibus limites delineare et servare, nam dimidia quasi pars religiosorum Provinciae in eo, sub variis titulis, commorabatur. Prae oculis habendo talem condicionem conventus, cui alius in Provincia Ragusina comparari non potest, de historia conventus loquendo necessario ingredimur, saltem indirecte, etiam in historiam Provinciae.

Post hanc introductionem praebere intendimus generalem conspectum historiae conventus, agendo in specie de activitate apostolico-missionali et in fine de bibliotheca et archivo.

Conventus historiae conspectus

Prima sedes Fratrum Minorum, vulgo « Mala Braća » appellatorum, in quodam pauperculo cubiculo, non longe ab antiqua ecclesia S. Stephani, in civitate fuisse, fertur. Conventus vero, secunda sedes, cum ecclesia S. Thomae extra moenia civitatis, in loco « Pile » dicto, an. 1235 aedificatum censetur. Ob periculum gentis inimicae incursionum hic conventus dirutus est, uti constat ex actis Consilii Maioris an. 1319:

« Cum tempore nobilis viri domini Pauli Moreceni olim comitis Ragusii destructus et discipatus fuit locus fratrum minorum qui erat extra portam de Pile, pro defensione et custodia civitatis, quia si dictus locus devenisset ad manus hostium, de levi civitas Ragusii poterat offendi, et reformatum fuisset in maiori consilio, quod pro reparatione dicti loci donaretur eisdem infra muros civitatis alius locus, qua de causa acceptum fuit per comune quoddam terrenum, qui erat Marini filii Michaelis de Sclavi... »¹⁹.

¹⁷ *Popis izdanja Jug. Akad. znanosti i umjetnosti u Zagrebu*, Zagreb 1951. In collectione *Monumenta spectantia historiam Slavorum meridionalium*, voll. 10, 13, 27-29 continent *Monumenta Ragusina. Libri reformationum*, Zagabriae 1879-1897.

¹⁸ *Anali Hist.Inst. u Dubrovniku I-IX*, Dubrovnik 1952-1961.

¹⁹ C. FISKOVIĆ, *Prvi poznati dubrovački graditelji*, Dubrovnik 1955, 108.

Comes Paulus Morosini, sub quo destructio conventus et fratrum in civitatem translatio decreta fuit, ab an. 1316-1318 officio comitis functus est, quam translationem die 15 oct. an. 1318 Joannes XXII bulla approbavit²⁰. Auctores et traditio quae initia conventus ad an. 1317 referunt, confirmationem ex his documentis sortiuntur.

Conventus et ecclesia sumptibus Reipublicae, collectis civium mercatorumque aedificabantur. De aedificatione documenta ex tabulario Reipublicae excerpta, C. Fisković an. 1955 publici iuris facere curavit²¹. Clastrum singulari opere artificioque perfectum magister Mihoje Brajkov, Michaël Antibarensis dictus (†1348), uti ex eius epitaphio in claustro existente patet, aedificavit²². Revera in lapide eius memoriae inscripto legitur: « fecit clastrum », ex documentis tamen constat opus vix secunda medietate saec. XIV, post mortem Mihoje Brajkov, ad finem perductum fuisse²³. De constructione claustri, reconstructione post terraemotum an. 1667, modificationibus, emendationibus et arte, C. Fisković de conventu benemeritus, investigationem et studium completum exaravit²⁴.

Inter opera arte praestantia recensetur et « Pietà » a fratribus Petrović an. 1498 sculpta et super portam ecclesiae principalem posita.

Ecclesia et maior pars conventus post dictum terraemotum ac incendii damna restaurata et partim modificata, amplitudine, marmoreis altaribus, inter quos ara maxima eminent, complexum architectonicum ordinatum et unitum ostendunt.

In Capitulo, claustro, sacristia et ecclesia inveniuntur sepulcra civium et nobilium, in choro vero existunt sepulcra Fratrum Minorum et Episcoporum e gremio Provinciae ad hanc dignitatem evectorum.

Lanificium in conventu, ex indulto apostolico an. 1653 institutum²⁵, candelarum officina et pharmacopolium publicum (1317-1947) non

²⁰ T. SMIČIKLAS, *Codex Diplomaticus VIII*, Zagreb 1910, 512; *Libri reformationum V*, Zagreb 1897, 136.

²¹ C. FISKOVIĆ, *Prvi poznati dubrovački graditelji*, Dubrovnik 1955, 107-137: *Mihoje Brajkov* (Michaël Antibarensis).

²² *Op. cit.*, 114-115.

²³ *Op. cit.*, 119: « On nije dovršio klaustar u cjelini, ali svakako veći dio bit će njegovo djelo... ».

²⁴ Post studium in *op. cit.*, 107-137 datur in p.139-142: *Résumé*, et tunc sequuntur 83 tabulae, clastrum in genere et in specie illustrantes.

²⁵ In *Necrologio*, variis in locis sed praesertim in *Libro della Botegha di Lanificio* (1725-1804) dantur notitiae de deputato lanificii, magistris, operariis, emptionibus lanae et utensilium, venditione panni, inter quos habemus « panno fratesco, panno miscio, panno nero, bianco, turchino ». Ex manuscripto eruuntur multa ad statum commercii cum Venetiis, Vice-Regno Neapolitano, respicientia. Conventus habebat etiam proprium syndacum in Fovea (f.14).

solum fratrum, sed etiam publicis, pauperum et degentium in particulari necessitatibus, deservebant. Ex manuscripto *Libro della Bottega di Lanificio (1725-1804)* lanificium imprimis necessitatibus Fratrum, dein civium, religiosorum aliarum Provinciarum, Clarissarum et in casu etiam monachorum schismaticorum de Ostrog obviam venisse constat. De pharmacopolio et pharmacopolis, qui in praeparandis et suppeditandis pharmacis, potionibus aliisque medicinalibus herbis aegrotantibus fratribus, civibus et villicis non paucio adiumento fuere, copiosa existit litteratura et manuscriptorum volumina. Inter elucubrationes nota dignae censentur illae quae a S. Šilović²⁶, U. Talijsa, N. Španjol, V. Ristić²⁷, sed praesertim a J. Velnić²⁸ exaratae sunt. Pater J. Velnić, qui ultimus pharmacopola ante sic dictam « nationalisationem » fuit, historiam pharmacopolii investigavit et illustravit, scribendo de initiis pharmacopolii, organisatione, momento, pharmacopolis, qui sponte, naturali inclinatione, et ex professo pharmaciae studium sive Patavii, ubi P. I.E. Kuzmić (†1880) studiis pharmaceuticis vacaverat²⁹, sive Florentiae, sive Barii, sive Zagrabiae absolverant. Idem A. descripsit supellectilem, vasa fictilia, instrumenta, libros et aliqua medicamentorum compositionum (*ricetarii*) manuscripta³⁰.

Pharmacopolae labore et industria coenobio, ecclesiae, praesertim vero valetudinario, ad quod fratres aegroti ex tota Provincia confluebant, non pauca saluti et sustentationi obveniando contulere.

Quod ad studia attinet legitime praesumere licet, praxim et legislationem Ordinis prae oculis habendo, studia, conventualia dicta, forsitan ab ipsis initiis in conventu exstitisse³¹. Primum certum documentum, nobis notum, datur ex an. 1390. In Minori Consilio Reipublicae die 19 nov. 1390

« captum fuit de subveniundo magistro Johanni de Padua ordinis

²⁶ S. ŠILOVIĆ, *Franjevačka ljekarna*, art. cit., 292-310.

²⁷ V. RISTIĆ, *Die alte Franziskaner Apotheke in Dubrovnik. Die älteste jugoslavische Apotheke*. Sonderdruck aus *Pharmazeutische Zeitung-Nachrichten* an. 1951, n.25, p.4.

²⁸ Inter studia a P. J. Velnić, qui et sub nomine V. Velnić venit, referenda sunt sequentia: V. VELNIĆ, O.F.M., *Prinos naše najstarije ljekarne našoj farmaciji*, in *Farmaceutski Glasnik* 6(1950) 87-96; *Najranije konture dubrovačke farmacije*, in *Arhiv za farmaciju* 1(1951) n.2, p.6-10; n.3, p.5-10. *Ljekaroslovje iliti nauzi sa ljeciti rastike nemochi etc.*, in *Anal. Hist. Inst. u Dubrovniku* VIII-IX, Dubrovnik 1960-1961, 499-555.

²⁹ *Necr.* n.905, p.561-562; ŠILOVIĆ, art. cit., 295-298; S. BRUSINA, I.E. Kuzmić. Biografičke crtice, Zagreb 1881.

³⁰ Septendecim manuscripta descripsit M. BRLEK, *Rukopisi*, 281-291.

³¹ Cf. M. BRLEK, *De evolutione iuridica studiorum in Ordine Minorum*. (Ab initio Ordinis usque ad an. 1517), Dubrovnik 1952, 25-27.

minorum de Bossina, pro eius infirmitate, pro medicis et aliis necessitatibus de perperis decem »³².

Post duos annos

« in dicto consilio captum fuit quod dentur decem yperperi de bonis communis fr. Iohanni de Padua ordinis minorum sacre theologiae professori in adiutorium emptionis unius bibliae »³³.

Respublica etiam fratres ad studia extra Provinciam missos adiuvabat. In Consilio an. 1397 statutum est quod dentur fratribus Gregorio et Michaëli Ordinis Fratrum Minorum

« civibus nostris in auxilium eundi ad studendum de foris ad valentia studia de bonis nostri communis yperperos centum... »³⁴.

Anno 1429

« captum fuit de eundo ad maius consilium pro donando fr. Andreae ragusino nostro, qui fuit in ordine et conventu S. Francisci lector, ex denariis nostri communis, attento quod vadit ad studium Florentiam³⁵ et quod diligentissime et bene servivit in praedicando, ducatus auri viginti »³⁶.

Occasione collationis magisterii solemnitates haud parvas expensas secumferre solebant, pro quibus fratres ordinarie ad benefactores recurrebant. Supra dicto fr. Michaëli Respublica an. 1407 « in subsidium sui magistratus » 250 perperos³⁷ et fr. Simoni Pticić (Simcho Ptizich) an. 1442 in subsidium « possendi se magistrari facere in sacra pagina » 50 perperos donavit³⁸.

Exeunte saec. XIV et ulterius in conventu existunt magistri S. Theologiae et de P. Andrea de Ragusio expresse affirmatur: « fuit in ordine et conventu S. Francisci lector ». Talis studii, cum omni probabilitate an. 1462, formalis et stabilis organisatio confirmatur testimonio Waddingi³⁹ et P. S. Dolci-Slade, qui de P. Philippo de Ragusio, Vicario Bosnae, asserit: « In nostro D. Francisci Rhacusino Coenobio, tum Philosophicum, cum Theologicum Studium deinde erexit... »⁴⁰.

³² *Reformationes*, XXIX (1390-1392) f.5v.

³³ *Ibid.*, f.31.

³⁴ *Reformationes*, XXX (1395-1397) f.144v.

³⁵ Cf. BRLEK, *De evolutione*, 42, n.137.

³⁶ *Acta Minoris Consilii*, IV (1426-1429) f.242.

³⁷ *Reformationes*, XXXIII (1407-1411) f.207v; cf. et f.30.

³⁸ *Acta Maioris Consilii*, VII (1442-1445) f.67. Cf. *Acta Minoris Consilii*, V (1430-1432) f.120v. De studiis et gradibus academicis fr. Simonis Pticić in Studio Patavino obtentis cf. *Acta graduum academicorum Gymnasii Patavini ab an. MCCCCVI ad an. MCCCCL cum aliis antiquioribus in Appendice additis. Iudicio historico collecta ac digesta curantibus Caspate Zonta et Johanne Brotto*, Patavii 1922, n.753; baccal. theol. 1734, 1735, 1756, 1775, 1785, 1786, 1787; lic. theol. 1801, 1818; doct. theol. 1819, 1821, 1844.

³⁹ L. WADDING, *Annales Minorum* XIII, Ad Claras Aquas 1932, p.289 ad an. 1462.

⁴⁰ DOLCI-SLADE, *Monumenta historica Provinciae Rhacusinae* 37, § XXI.

Post vicissitudines prosperas et adversas Studium Ragusinum an. 1664 in Capitulo Generali Romae celebrato in studium Generale evectum est: « Instituantur Studia Generalia S. Theologiae in conventu S. Francisci Civitatis Ragusiae, Provinciae Ragusiae... »⁴¹. In actis Capituli Generalis an. 1723 inter conventus ad iubilationem designatos invenitur et Ragusinus⁴².

Exeunte saec. XVIII et ineunte saec. XIX temporum condiciones politicae studia non fovebant. Infaustis volventibus annis ob studentium penuriam et occupationem conventus a Gallis, studium suspensum fuit. Post non paucas instantias, a Gubernio Austriaco an. 1821 permissum est denuo Studium privatum usque ad Studii publici organisationem instituere. Die 1 oct. 1838 Studium theologicum solemniter instauratum fuit, qua occasione inauguralem orationem P. S. Franković, Studii Praefectus et Min. Provincialis dixit. Die 23 nov. 1841 « le facilitazioni accordate alla Provincia Franciscana del SS. Redentore vengano applicate anche alla Prov. Franciscana di Ragusa »⁴³. Post examina et elaborata ab Aulica Commissione pro Studiis approbata, professores nominati sunt PP. S. Franković, D. Stoić († 1856) et U. Bogdanović, quibus accessere an. 1842 P. A. Ciurcia⁴⁴ et postea sacerdotes saeculares M. Kalodjera, postea episcopus Spalatensis, Gregorius Rajčević, postea archiepiscopus Jadrensis, et G. Avvoscani. Studium frequentabant clerici theologi Provinciae, Ordinis Praedicatorum, Scholarum Piarum, Dioecesis Ragusinae, Pharensis etc.

Spiritum quo Studium regebatur demonstrat decretum imperatoris die 24 martii 1837, quo professores Studiorum theologicorum obligati erant ad manualia ab Aulica Commissione pro Studiis approbata, stricte sequenda, necnon litterae Episcopi Ragusini die 24 martii 1841, sed praesertim die 8 nov. 1841, in qua lectiones P. U. Bogdanović, prof. historiae et iuris, reprobantur:

« ... dal tenore delle tesi prodotte dal Lettore Bogdanović e specialmente di quella circa il giudice nelle cause matrimoniali contraria alla più sana dottrina nello stesso autore Mauro Schenkel da lui pertrattato, si ha di nuovo motivo di raccomandare ad Essa medesima direzione, onde nell'insegnamento del Diritto ecclesiastico si abbia sempre il dovuto riguardo alle leggi politiche vigenti e rispetto al diritto matrimoniale, alle massime e prescrizioni contenute nel Codice civile universale ».

⁴¹ *Chronologia historico-legalis S. Ordinis Fratrum Minorum*, II (1633-1718), ed. P. Julii de Venetiis, Venetiis 1718, 108, n.16.

⁴² *Capitulum generale Romae an. 1723 habitum*, Romae 1730, 19 (cf. et p.15).

⁴³ Litterae Ordinariatus Ragusini die 28 dec. 1841 (Archivum).

⁴⁴ PP. S. Franković, U. Bogdanović et A. Ciurcia postea episcopi renuntiati sunt.

Pater U. Bogdanović immediate amotus, in conventu S. Francisci de Vinea, usque ad mensem iunii an. 1845 remansit, et anno sequenti a S. Sede, episcopus nominatus est.

Ab an. 1860 Studium theologicum pro fratribus et hospitibus aliarum Provinciarum usque ad an. 1899, qua Studium theologicum unitarum Provinciarum sub titulo S. Hieronymi, cum intervallis, usque ad tempora recentissima iter prosequitur. Novissimis in temporibus inter lectores doctrina et auctoritate eminebant PP. U. Talijs⁴⁵, P. Vlašić⁴⁶ et T. Velnić⁴⁷.

Non pauci studentes ab initio ad Studia extra Provinciam mittebantur, praesertim Anconae, Assisii, Bononiae, Ferrariae, Januae, Mantuae, Mediolani, Neapoli, Parisiis⁴⁸, Patavii, Perusiae, Romae, Taurini, Venetiis etc. Peractis studiis ordinarie Provinciam petebant et in Studio Provinciae legebant, non raro extra Provinciam in servitio Ordinis manebant. Pater Savinus Florianus a Ragusio erat lector generalis S. Theologiae in conventu S. Mariae Novae Neapoli, P. Franciscus Cafarelli, lector iubilatus Aracoelitanus⁴⁹, P. Petrus Površe « in pluribus Italiae Studiis generalibus lector »⁵⁰ etc. Numerus lectorum generalium S. Theologiae et lectorum iubilatorum, qui sive in Provincia, sive extra Provinciam iubilationem obtinere, exiguus non est.

In conventu ab an. 1928-1944 gymnasium iure publico gaudens, praeter fratres, religiosos aliorum Ordinum atque cleri saecularis alumnos, recipiebat. Tres professores gymnasii, tempore ultimi belli mundialis, pro aris et focis occisi fuere, nempe PP. Thomas Tomašić, director gymnasii, Marianus Blažić, famosus concionator et Gerardus Barbir. Illis accensendi sunt et tres clerici theologi, videlicet fr. Balthasar Beato, fr. Othon Kupek et fr. Albertus Karamarko⁵¹.

E conventu plures religiosi sanctitate, zelo apostolico, pastorali et missionario, scientia et doctrina praeclari prodiere. Conventus claris semper oratoribus sacris gloriabatur, qui plerumque lingua italica non minus quam croatica munus exsequentes, haud raro a nonnullis civitatibus Italiae verbi Dei praedicandi gratia arcescebantur; inter

⁴⁵ De U. Talijs cf. M. BRLEK, *Talijs Urbano*, in *Enc.Catt.* XI, 1711; F. FRŽOP, O.F.M., *O. Urban Talijs*, in *Franjevački Vjesnik* 39(1932) 161-164, 199-211.

⁴⁶ Pater P. Vlašić multa opera S. Scripturam respicientia publici iuris fecit, inter quae eminent versio et expositio Psalmorum: O. P. VLAŠIĆ, *Psalmi Davidovi*, 4 voll., Dubrovnik 1923-1925.

⁴⁷ De his omnibus cf. *Sacr. Theologiae Studium O.F.M. Ragusii (Dubrovnik) ab an. 1899.* (Mss.). P. T. Velnić publici iuris fecit opuscula *O. Fulgencije Carev*, Pazin 1961 et *O. Marko Tvrđić*, Pazin 1962.

⁴⁸ *Necr.* n.447, p.441.

⁴⁹ *Necr.* n.607, p.457-458.

⁵⁰ *Necr.* n.254, p.427.

⁵¹ Quinque clerici theologi carceribus mancipati fuere.

eos primum locum tenet P. S. Dolci-Slade qui concionatoris clarissimi nomen obtinuit:

« Trigesies octies in praeclarioribus suggestis fuit: Romae, Florentiae, Genuae, Camerini, Lucae atque alibi; quin bis Senegalliae et Brixiae, ter Cathari, Neapoli, Venetiis et Patavii; septies in hac ragusina Cathedrali... »⁵².

Pater Vitalis Andrijašević (Andriassi) publici iuris fecit *Quadragesimale*, Venetia 1661 et *Avvento predicato al Senato di Ragusa con otto sermoni della Novena*, Venetia 1679. Plura sunt opera ad theologiam spiritualem et devotionem fovendam spectantia ab eo lingua croatica typis edita⁵³. Inter auctores recentiores P. P. Vlašić nonnullas collectiones sermonum ab eo compositorum publici iuris fecit.

Bibliographia auctorum et scriptorum Provinciae et conventus desideratur, nam notae bibliographicae et typographicae, quae in *Necrologio*, bibliographia croatica, encyclopaediis et aliis publicationibus prodire, non semper accuratae sunt, saepe vero incompletae. Inter auctores inveniuntur poetae, concionatores, studiosi litterarum, historiae et theologiae cultores, spiritualium et piorum opusculorum sive auctores, sive ex aliis linguis interpretes. Necessarium esset etiam aliqua de artis musicae peritis, praesertim illis quorum concentus, modi canticis aptati, Missae etc. in archivo musicali, recentissime ordinato, servantur, investigare et edere.

De Studii Ragusini vicissitudinibus, de studentibus et lectoribus, de lectoribus extra Provinciam in Studiis aliarum Provinciarum legentibus, de lectoribus iubilatis; de lectoribus aliarum Provinciarum in Studio Ragusino legentibus et de Studentibus exteris Studium Ragusinum frequentantibus, de scriptoribus et auctoribus investigationem inchoptam in elucubratione speciali, data occasione, ad finem perducere intendimus.

Activitas multiformis et complexa conventus (de episcopis, legatis et missionariis infra sermo instituitur), explicatur etiam ex eo quod circiter 82 principalium familiarum nobilium Ragusinarum filii Ordinem ingressi aliquid proprii vitae conventus contulerunt⁵⁴. Insuper non est oblivione praetereundum quod, secundum legem an. 1528 latam, tantum religiosi e familiis nobilibus originem ducentes, guardiani conventus esse potuerint.

Exemplum praedecessorum, prosequendo, actu commorantes operam dant in studiis colendis, in patrimonio saeculorum custodiendo.

⁵² *Necr.* n.478, p.478; M. PANTIĆ, *op. cit.*, 14-19.

⁵³ *Necr.* n.537, pp. 450 et 578. Cf. I. KUKULJEVIĆ, *Bibliografija Hrvatska*, Zagreb 1860, 15, 189.

⁵⁴ De nobilibus Ragusinis, fratribus O.F.M., investigationem perfecimus (Mss.).

De activitate apostolica et missionaria

De vita regulari et Regulae S. Francisci observantia dicendum est fratres eamdem in sua puritate observare conatos esse. Non deerant tempora in quibus aliqui mitiorem viam amplectebantur et tunc necessitas reformationis sentiebatur, cui varii SS. Pontifices providere non omittebant. Non pauci tamen veri filii S. Francisci fuere, quod in Necrologio refertur expressionibus: verus Frater Minor, paupertatis eximius cultor, piissimus et similibus. Inter tales eminent fr. Pacificus a Ragusio⁵⁵ et P. Seraphinus Zamagna⁵⁶. Pater Antonius Crijević (Cerva), « ragusinus patritius pro Christi fide occubuit martyr in Barbaria, post an. 1510 »⁵⁷; P. Bonifatius Putinković (†1631) « venerabilis Dei servus » dicitur⁵⁸; P. Ludovicus Laloš ab Epidauro († 1643) morum pietate, ieiuniis, orationibus et vigiliis clarus erat⁵⁹ et P. Franciscus Gučetić (Gozze) « prophetiae et sanctimoniae fama ac dono potestatis in daemones ceber »⁶⁰; PP. Anselmus Rusković († 1670) et Pacificus a Breno († 1726) sicuti pie et religiose vixere ita et obiere⁶¹.

Pater Ambrosius a Puncta († 1711), S. Regulae observantissimus, ter in hebdomada pane tantum et aqua victitare consuevit, in festo Immaculae Conceptionis Virginis Deiparae, quam colebat impensissime, pronuntiatis illis verbis *Laetatus sum* etc. non sine sanctitatis fama obdormivit⁶².

De P. Isidoro a Gravosio († 1747) legitur:

« Nemo ipso vel s. obedientiae vel seraphicae paupertatis studiosior; floritque ea sanctitatis fama, ut defuncto parentaverimus stantes circa feretrum ad arcendum populum »⁶³.

Pater Joannes Chrysostomus Klešković de Breno († 1796)

« sancte et pie, uti semper vixit, animam suo reddidit Creatori. Postero die ad exequias ex catholico more ei persolvendas, eius corpus in sacram aedem fuit delatum. Nondum sacris precibus inchoatis, ob summam in Chrysostomum omnium civium reverentiam, brevi huc convenit tanta omnis generis multitudo, ut plures ex nostris non satis essent, qui populum undique confluentem in officio continerent. Unusquisque eum videre certabat; certatim libata vestibus, pressa pedibus,

⁵⁵ *Necr.* n.3, p.404.

⁵⁶ *Necr.* n.46, p.412.

⁵⁷ *Necr.* n.48, p.412. Cf. n.273, p.428 ubi legitur: « R.P. Raphael a Ragusio, decessit Antibari, a Turcis obrutus lapidibus, anno 1599 ».

⁵⁸ *Necr.* n.353, p.433.

⁵⁹ *Necr.* n.395, p.438.

⁶⁰ *Necr.* n.434, p.440.

⁶¹ *Necr.* n.475 et 620, p.444 et 459.

⁶² *Necr.* n.588, p.456.

⁶³ *Necr.* n.662, p.463.

ingeminata manibus oscula, nemoque recedebat nisi rei aliquid inde auferret. Coepta deinde in frustula abscindi vestis, illamque et secunda et tertia suppleri oportuit »⁶⁴.

Pater Seraphinus Gurić († 1835)

« legum ecclesiasticarum ac Constitutionum Ordinis fuit defensor et zelator observantissimus. Totum aetatis tempus piorum librorum lectioni, orationi, poenitentiae et aliis optimi religiosi operibus intentus, consumpsit. Quamquam esset strictioris observantiae et austeritatum rigidissimus sectator, erat tamen comes, festivus, omnibus charus aequae ac utilis »⁶⁵.

Non desunt et tot alia exempla vitae religiosae, vitae pro bono fidelium, praesertim tempore calamitatum et pestis immolatae, necnon pii et sancti obitus, quae omnia biographum sollertem expectant.

Condiciones tristes populi christiani in paeninsula balcanica vitam ducentis compellebant et fratres et eorum Superiores ut illi obviam venirent. Non raro, tamquam cappellani legatorum et legationum Reipublicae atque coloniarum mercatorum Ragusinorum in variis civitatibus existentium, fideles in spiritualibus et materialibus iuvabant. Alii erant missionarii, alii in servitium Terrae Sanctae vocati, alii parochi, praesertim in dioecesi Tribunensi. Inter episcopos e gremio Provinciae electos, praeter illos qui dioecesim Stagnensem et archidioecesim Ragusinam, prope fines imperii Turcarum tunc existentes, rexerunt, fere omnes alii dioecesium potestati turcicae subiectarum, videlicet Tribunensis et Mercanensis, Antibarensis, Scodrensis, Alexiensis et Scodrenco curam gesserunt.

De aliquibus *Necrologium* simpliciter asserit: « in partibus turcicis » obiit⁶⁶, de aliis vero cognoscitur locus et tempus activitatis missionalis: P. Bernardinus a Ragusio, missionarius Apostolicus, decessit an. 1589 in Transylvania⁶⁷, P. Bonaventura Mandarović obiit peste an. 1611 Byzantii⁶⁸, P. Clemens a Terranova, missionarius, an. 1636 Plešice in Hungaria⁶⁹, P. Stephanus Nalješković (Nale), missionarius et parochus an. 1661 Canissae in Hungaria⁷⁰, P. Hieronymus ab Oskorušno, missionarius an. 1684 in dioecesi Nicopolitana⁷¹.

Pater Vitalis Andrijašević († 1734), cum fratre suo Sardicensi

⁶⁴ *Necr.* n.779, p.493-494.

⁶⁵ *Necr.* n.852, p.532.

⁶⁶ Anno 1592 animam Deo reddiderunt PP. Basilius a Popovo, Petrus a Popovo et a. 1593 P. Leonardus a Ragusio: cf. *Necr.* n.252, 253, 256, p.427; anno vero 1609 P. Antonius de Pile (cf. *Necr.* 287, p.430).

⁶⁷ *Necr.* n.241, p.426.

⁶⁸ *Necr.* n.294, p.430.

⁶⁹ *Necr.* n.364, p.434.

⁷⁰ *Necr.* n.444, p.441.

⁷¹ *Necr.* n.516, p.448.

archiepiscopo Bulgariam petens ibique parochum agens⁷², una cum P. Benigno a Ragusio († 1758), missionario et paroco⁷³, in vincula a Turcis coniectus et in carcerem Constantinopolitanum deductus, « Ragusini patrocinio nominis liber », cum socio dolorum, in patriam reverti potuit.

Colonia mercatorum Ragusinorum Belogradi iam an. 1557 privilegium obtinuit in aliqua domo propriam ecclesiam habendi. Inter alios parochi officium exercebant P. Franciscus Martini († 1636) et P. Bonaventura a Canalibus († 1640), qui Belogradi⁷⁴ necnon P. Thaddeus a Ragusio († 1686) et P. Ludovicus a Ragusio († 1738), qui in Provinciam reversi supremum diem obiire⁷⁵.

In Consistorio die 19 febr. 1625 P. Albertus Renjić, theologus et per 4 annos Basilicae Lateranensis paenitentarius, episcopus Samandriensis (Smederevo), cum residentia Belogradi, confirmatus est. De eius apostolatu M. Premrou investigationem perfecit⁷⁶. Mense martii an. 1630 morte correptus ad superos evolavit.

In studio historico-critico de dioecesi Tribunensi et Mercanensi a B. Pandžić an. 1959 publici iuris facto⁷⁷, non pauca de apostolatu franciscanorum ragusinorum inveniuntur. Statum dioecesis sub Turcis optime explicat factum quod eius episcopi raro Tribunii-Trebinje residebant, eorum residentiae erant Ragusii, Mercanae, Rijeka dubrovačka, Slano, Ravno, Trebinja, Čepikuće. In dioecesi maior cura fidelibus oblata est cum Provinciae Ragusinae filii, ex Popovo originem ducentes, suis magis consulere potuerint. Patres Basilius a Ravno, ab aliis a Popovo dictus († 1592), an. 1579 in loco natali ecclesiam construxit⁷⁸ ac P. Bonifatium Drakolica, episcopum Stagnensem, vocavit ut novam ecclesiam benediceret⁷⁹.

Die 10 dec. 1604 P. Philippus Dobrosaljić parochus in Popovo ab episcopo P. Thoma Medvjedović instituitur⁸⁰ et die 10 dec. 1605 « in dioecesi Naronensi alias Stephanensi » vicarius generalis declaratur.

⁷² *Necr.* n.636, p.461.

⁷³ *Necr.* n.689, p.467-468. De fratribus Ragusinis in Bulgaria laborantibus cf. I. DUJČEV, *Il Cattolicesimo in Bulgaria nel sec. XVII, secondo i processi informativi sulla nomina dei Vescovi cattolici*, Roma 1937.

⁷⁴ *Necr.* n.362, 389, p.434, 437.

⁷⁵ *Necr.* n.530, 642, p.449, 461.

⁷⁶ M. PREMROU, *Serie dei Vescovi Romano-cattolici di Beograd. Studio composto in base a' documenti degli Archivi Vaticani*, in *Archivum Franciscanum Historicum* 17(1924) 505-508. Cf. EUBEL, *Hierarchia* IV, p.303; *Necr.* n.366, p.435 et 574-575.

⁷⁷ B. PANDŽIĆ, O.F.M., *De Dioecesi Tribuniensi et Mercanensi*, Romae 1959.

⁷⁸ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 35; *Necr.* n.252, p.427.

⁷⁹ D. MANDIĆ, O.F.M., *Acta franciscana Hercegovinae provinciarumque finitimarum tempore dominationis othomanae*, vol. I (1463-1699), Mostar 1934, 41 n.29.

⁸⁰ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 37-38, 54.

Quid iste pater in dioecesi effecerit et quando paroeciam reliquerit, nescimus; mortuus est an. 1624 Ragusii⁸¹.

Melius cognitus est P. Blasius a Gradac, paroeciae de Gradac parochus qui pluribus annis inter suos ecclesias quatuor reparavit vel construxit, de eius activitate relatio ad S. Congregationem facta a B. Pandžić edita invenitur⁸².

Anno 1855 P. Aloysius Uccellini parochus duarum paroeciarum, Gradac et Rasno nominatus est⁸³.

Praeter dictos missionarios et parochos, necnon alios qui tantum ad breve tempus in vinea Domini laborarunt, inveniuntur inter episcopos dioecesis sex fratres, quorum quinque Ragusini fuere⁸⁴. Pater Nicolaus de Ragusio, initio saec. XIV⁸⁵; P. Jacobus Lukarević (Lucari, † 1575), ex nobili familia, bis Minister Provincialis, die 10 nov. 1562 a Senatu Ragusino episcopus electus, a Pio IV die 30 iulii an. 1562 confirmatus est⁸⁶; P. Savinus Florianus († 1661), lector generalis S. Theologiae, ter Minister Provincialis, an. 1625 definitor generalis, die 14 febr. 1647 a Senatu episcopus electus, die 16 sept. 1647 ab Innocentio X confirmatus, indefesse pro dioecesi adlaboravit⁸⁷.

Pater Antonius Primović-Primi († 1703), lector theologiae, Minister Provincialis, notus est praesertim qua legatus Reipublicae ad S. Pontificem Clementem IX et regem Galliae Ludovicum XIV, ut eos de terraemotu, qui an. 1667 civitatem fere totam destruxerat, certiores faceret ab eisque subsidia obtineret⁸⁸. Die 28 dec. 1668 episcopus elec-

⁸¹ *Necr.* n.332, p.432 ipsum vocat Dobroslavić.

⁸² PANDŽIĆ, *op. cit.*, 112-116; cf. et p.31, 38, 41, 54-55, 110-111, et *Necr.* n.331, p.432 ubi annus mortis 1623 dicitur.

⁸³ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 79-80, 159.

⁸⁴ De episcopo Dessa, O.Min., († 1385), supponitur eum a Tragurio (Trogir) originem duxisse. Cf. PANDŽIĆ, *op. cit.*, 20-21 (vita, p.86-87).

⁸⁵ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 17, 85; *Necr.* n.4, p.404; EUBEL, *Hierarchia* I, Monasterii 21913, 495.

⁸⁶ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 94-95; *Necr.* n.73, p.418; EUBEL, *Hierarchia* III, Monasterii 21923, 318.

⁸⁷ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 97-98 (cf. p.15, 54-55); *Necr.* n.447, p.441-442; EUBEL, *Hierarchia* IV, Monasterii 1935, 230. Cf. n.1 ad Mercanenses et Tribunenses episcopos: « Ecclesiae Marcanensis et Tribuniensis sunt in Dalmatia, Tribuniensis scilicet in ea parte quae a Turcis detenta est, et Marcanensis in quadam parva et inculta maris Adriatici insula status reipublicae Ragusinae et quae distat a civitate Ragusina circa sex millia passuum, et dicta ecclesia Tribuniensis circa quindecim et alia millia; ecclesia Marcanensis caret populo, civitate, dioecesi, fructibus et omnibus aliis requisitis, in eaque raro aut nunquam celebratur, episcopus huiusmodi ecclesiarum consuevit residere in civitate Ragusina, cuius archiepiscopo metropolitano subiectus est (Acta Miscellanea 98, f.208) ».

⁸⁸ P. Laurentius Menčetić (Menze) an. 1404 nuntium Ragusinum egit, tam apud Sigismundum Hungariae, quam apud Ladislaum Neapolis regem (cf. *Necr.* n.6, p.404). P. Nicolaus Bunda, Eugenii IV in Dalmatia, Bosnia et Hungaria nuntius erat (cf. *Necr.* n.10, p.406). P. Marinus Bodazza, nuntius ad regem Ladislaum mittitur; P. Michaël ad regem Bosnae an. 1451; P. Helias Bogišić an. 1456 ad eundem regem (cf. *Misc.Franc.* 14[1912-1913] n.66, p.178-179; n.75, p.185-186). P. Marinus ab Epidauro, nuntius missus est ad regem Hispaniae et ad Neapolis Pro-regem, ob damna in terraemotu perpressa (cf. *Necr.* n.545, p.451).

tus, a Clemente IX die 15 iul. 1669 confirmatus. Per 34 annos commissum sibi gregem gubernabat insudavitque ut curam pastoralem in melius ordinaret; adlaboravit quoque ut monachos dissidentes, qui in finibus dioeceseos morabantur, ad Ecclesiam reduceret⁸⁹.

Pater Anselmus Katić († 1792), lector iubilatus S. Theologiae, die 15 dec. 1760 a Clemente XIII episcopus renuntiatus, per 32 annos dioecesim rexit. Primum in pago Trebinja sedem posuit, deinde ob vexationes Turcarum domicilium suum in territorium ragusinum transferre coactus, in quadam domo rustica, in loco Čepikuće dicto, residebat⁹⁰.

Anno 1599 Thomas Medvjedović (Ursinus † 1610), dictus Bastić, doctor Parisiensis, archiepiscopus Antibarensis (Bar) et totius Rasciae primas nominatus est. Ipse ubi primum electus est, S. Pontifici exposuit maiorem difficultatem catholicis iugo Turcarum subiectis ex eo provenire, quod sacerdotes deessent qui de eis curam haberent; immovero dioeceses adesse quae pastorem non habebant⁹¹. Quam ob rem Clemens VIII, litteris *Cum sicut nobis*, die 15 oct. 1600 plures facultates concessit⁹². Postquam dioecesim et alias dioeceses finitimas pastoribus orbatas visitaverat, denuo ad S. Pontificem recursum faciendo novas facultates obtinuit⁹³.

Pater Dominicus Andrijašević (Andriassi) multum adlaboravit ut christiani paeninsulae balcanicae tandem aliquando libertatem obtinerent. Eum S. Congr. de Prop. Fide die 13 maii 1622 episcopum Scodrensem in Albania instituere decrevit, sed a Turcis e sua diocesi expulsus ad proprios reversus dioecesim dictam Stephanensem restituere, uti ille affirmabat, conatus est. De hac intricata et complexa quaestione P. Pandžić objective investigationem perfecit⁹⁴. De Scodrensi Ecclesia bene meritus est P. Benignus Albertini, Minister Provincialis, an. 1832 a Gregorio XVI in episcopum electus et Ragusii consecratus. *Constitutiones Synodales Dioecesis Scodrensis* edidit, Seminarium Scodrae constituit et ecclesiam cathedralem a funda-

⁸⁹ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 98-99 (cf. p.49, 56-57, 63, 105, 119-129 relationem an. 1684 ad S. Congr. de Prop. Fide missam); *Necr.* n.574, p.454; EUBEL, *Hierarchia* V, 254.

⁹⁰ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 100-101 (vita; cf. p.11, 33, 71, 74, 105); *Necr.* n.766, p.488-489; EUBEL, *Hierarchia* VI, Patavii 1958, 275.

⁹¹ Arch.Vat., *Secretaria Brevium*, vol. 300, f.166r. Cf. PANDŽIĆ, *op. cit.*, 35.

⁹² CLEMENS VIII, *Cum sicut nobis*, litt. die 15 oct. 1600, in WADDING, *Annales*, XXIII, 576-579 (*Regestum Pontificium*, n.CVII). Alia documenta archiepiscopum respicientia in *op. cit.*, sunt: electio archiep. Antibarensis (*ibid.*, p.559), quaedam S. Pontificis commendationes (*ibid.*, p.560-561), nominatio archiepiscopi in Administratorem Ecclesiae Buduanensis (*ibid.*, p.561).

⁹³ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 36. In hoc opere loquitur de archiepiscopo Antibarensi in p.40, 42, 54, 104, 112. Cf. EUBEL, *Hierarchia* III, 110; *Necr.* n.291, p.430; *Glasnik Zemaljskog muzeja u Bosni i Hercegovini* 21(1909) 67.

⁹⁴ PANDŽIĆ, *op. cit.*, 39-43, 51, 53, 55, 97, 154, et litteraturam ibi relatam; *Necr.* n.364, 377, p.574, 575.

mentis excitare incoepit; laboribus oppressus an. 1838 supremum diem obiit⁹⁵. De P. A. Čurčija (Ciurcia), primum episcopo Alexiensi, postea Scodrensi eiusque ulteriore vitae curriculo, infra sermo instituitur.

Inter episcopos Alexienses in Albania (Alessio, Lješ) inveniuntur etiam P. Marinus a Ragusio († 1605), ab Eubel Braianus dictus, Minister Provincialis, die 15 oct. 1578 episcopus Alexiensis nominatus⁹⁶, cui an. 1580 administratio ecclesiae Scodrensis ad biennium conceditur⁹⁷. P. Benedictus Medvjedović (Ursinus), die 21 iun. 1621, episcopus Alexiensis nominatus⁹⁸ « post multas pro fide persecutiones perpassas, ibidem an. 1654 obiit⁹⁹.

Pater Urbanus Bogdanović († 1863), decreto S. Congr. die 30 maii 1843, nominatus est episcopus Europensis, administrator apostolicus archidioecesis Scopiensis (Macedonia), post viginti annos indefessi laboris in regione Turcis submissa, ubi pauci et dispersi dantur catholici, a S. Pontifice Pio IX honoribus cumulatus e vivis decessit¹⁰⁰.

Pater Sebastianus Franković (1800-1864), Rector Studii Theologici, Minister Provincialis, an. 1861 nominatus est a Pio IX episcopus tit. Sionensis et Vicarius Apostolicus Bosniae, ubi mortuus est die 30 oct. 1864¹⁰¹.

Episcopos, qui in partibus paeninsulae Balcanicae, Turcis subiectae, munus pastoris in omni genere difficultatum et periculorum exeruerunt brevi calamo enumeravimus.

Parum revera contribuere facere potuimus ad cognitionem apostolatus missionalis in partibus Turcis subiectis, ubi missionarii, parochi, episcopi in difficultatibus, periculis et aerumnis fidem fidelium conservare, liberationem servituti extremae addictorum et carceratorum, vitam ecclesiasticam reficere et ordinare nitebantur. Nolumus aliarum Provinciarum filios secundos nec dicere, nec habere, multo minus ad tempus laborantium et inominatorum cruciatus, de quibus aliquando documenta silent, aliquando tantum obiter loquuntur, parvi pendere, nam communis erat finis, quamvis diversae methodus et successus. Prope fines imperii Turcarum, ab iugo Turcarum fugientes, iuvabat et proprium gregem custodiebant episcopi Stagnenses¹⁰² et

⁹⁵ P.B. GAMS, O.S.B., *Series episcoporum Ecclesiae catholicae, quotquot innotuerunt a B. Petro apostolo*, Ratisbonae 1873, 418; *Necr.* n.844, p.521-522.

⁹⁶ EUBEL, *Hierarchia* III, Monasterii 21923, 104.

⁹⁷ *Ibid.*; *Necr.* n.281, p.429.

⁹⁸ EUBEL, *Hierarchia* IV, 77.

⁹⁹ *Necr.* n.423, p.439. Cf. PANDŽIĆ, *op. cit.*, 31, 40, 109, 112.

¹⁰⁰ GAMS, *op. cit.*, 397; *Necr.* n.885, p.550-551.

¹⁰¹ *Necr.* n.887, p.551-553.

¹⁰² P. Bonifatius de Stephanis, de quo infra. P. Augustinus Flavius Macedonic († 1683; cf. EUBEL, *Hierarchia* V, 363; *Necr.* n.513, p.446-447, 578); P. Hyacinthus Tvrtković († 1692;

episcopi Ragusini¹⁰³, quorum aliqui Provinciae et conventus Ragusini filii fuere. De aliis episcopis investigationem omittimus, quia attentionem specialem illis qui in locis et pro locis Terrae Sanctae temporibus difficillimus adlaboravere, praebere intendimus.

De fratribus in Terram Sanctam peregrinis nil certe exponere possumus, praesumere vero tales saltem non defuisse, sequendo exemplum S.P. Francisci, B. Aegidii aliorumque primae generationis franciscanae sodalium¹⁰⁴. E *Necrologio* tamen aliquorum munera et officia in Terra Sancta exercita eruuntur. Pater Antonius Gučetić (Gozze), dictus Regna, ragusinus patricius, an. 1498 guardianus Hierosolymitanus electus fuit et ea loca cum laude gubernasse affirmatur¹⁰⁵. A secretis habuit P. Valentinum Bunić¹⁰⁶. De P. Joanne Gundulić (Gondola) *Necrologium* asserit:

« Peregit Terrae Sanctae peregrinationem, in eadem quinquennio commoratus est, quin et Bethlehemitici conventus guardianus fuit. Suae peregrinationis Historiam italice conscriptam dicavit fratri suo Nicolino de Gondula, sub die XV martii an. 1526; et adhuc superest ipsa in Bibliotheca RR. Societatis Jesu, etsi manuscripta »¹⁰⁷.

Hoc manuscriptum invenire nobis datum non fuit. Scimus etiam quod P. Benedictus Kotruljević (de Cotrulli), obdormivit Hierosolymis¹⁰⁸, P. Anselmus Rusković in Terra Sancta peste correptus pie obiit¹⁰⁹, fr. Nicolaus a Melita, laicus, diu in Terra Sancta commoratus est¹¹⁰, fr. Humilis a Slano¹¹¹, P. Marinus Papa¹¹² et P. Valentinus a Gravosio¹¹³ triennium ibidem perfecerunt.

cf. EUBEL, *Hierarchia* V, 363; *Necr.* n.543, p.451, 578); P. Vincentius Lupi († 2709; cf. EUBEL, *Hierarchia* V, 363; *Necr.* n.584, p.455); P. Franciscus M. Sorgo Bobali († 1800; cf. EUBEL, *Hierarchia* VI, 387; *Necr.* n.789 et 745, p.499, 482).

¹⁰³ P. Angelus Franchi († 1751), lector iubilatus, Minister Provincialis, consecratus Romae die 1 febr. 1728 a Benedicto XIII, an. 1729 Ragusii Synodum celebravit. Cf. *Constitutiones et Decreta Synodi Dioecesanæ Ragusii... 1729... a D. Fr. Angelo Franchi, archiepiscopo celebratae*, Anconae 1730. De eius vita cf. EUBEL, *Hierarchia* V, 327; *Necr.* n.675, p.465, 579. - P. Aloysius Spagnoletti († 1799), doctor iuris canonici, theologus Reipublicae, bis Minister Provincialis, archiepiscopus Ragusinus nominatus die 26 martii 1792. Cf. EUBEL, *Hierarchia* VI, 351; *Necr.* n.787, p.497-498. Consecratus erat Romae 9 apr. 1792 a card. de Zelada.

¹⁰⁴ Cf. H. DE ROECK, O.F.M., *De normis Regulae O.F.M. circa missiones inter infideles ex vita primaeva franciscana profluentibus*, Romae 1961.

¹⁰⁵ G. GOLUBOVICH, O.F.M., *Serie cronologica dei Rmi Superiori di Terra Santa*, Gerusalemme 1898, 38; cf. *Chronologia historico-legalis* I, 147; *Necr.* n.47, p.412.

¹⁰⁶ *Necr.* n.50, p.412.

¹⁰⁷ *Necr.* n.64, p.416-417; M. PANTIĆ, *op. cit.*, 103-104.

¹⁰⁸ *Necr.* n.84, p.419.

¹⁰⁹ *Necr.* n.475, p.444.

¹¹⁰ *Necr.* n.525, p.449.

¹¹¹ *Necr.* n.666, p.464.

¹¹² *Necr.* n.665, p.464.

¹¹³ *Necr.* n.680, p.466.

Inter patres illustres eminet P. Bonifatius de Stephanis (Drakolica, Drkolica), de cuius vita, operibus et apostolatu copiosa datur bibliographia¹¹⁴, non vero studium completum¹¹⁵. In lucem ponere intendimus saltem illa quae pro Terra Sancta fecerat. Cum Custos Provinciae esset, electus est in guardianum Montis Sion et Custodem Terrae Sanctae an. 1551, quo officio partim ordinarie, partim ad interim, per 12 fere annos fungebatur. Franciscanos e S. Coenaculo expulsos, in novo conventu SS. Salvatoris dicto, hodie Custodiae domo, ordinavit. Turcarum potestatibus acceptus cum esset, non pauca Sanctuaria restauranda consecutus est, inter quae S. Sepulcrum, cuius aediculam novis ac pretiosis marmoreis tabulis undequaque textit ac tholum quo operiebatur resarcivit. Pro obtinendis et urgendis licentiis necessariis Sultanum adire non omisit¹¹⁶. Notum opus *Liber de perenni cultu Terrae Sanctae et de fructuosa eius peregrinatione*, Venetiis 1573 et 1875¹¹⁷ Gregorio XIII dicavit. In opere describuntur Sanctuaria, peregrinationes et caeremoniae quae Fratres Minores, festis solemnibus in locis sanctis facere consueverunt et hodie quoque consuescunt¹¹⁸.

Inter S. Theologiae doctores et magistros, qui Sessioni VIII Concilii Tridentini interfuere, invenitur etiam Bonifatius de Ragusio¹¹⁹. Patribus sermonem dixerat die 23 aug. 1562, scilicet Dominica XIV post Pentecosten, insuper deputatus erat ad loquendum super 4 et 5 art. de Sacramento Ordinis, sed non apparet eum revera locutum esse¹²⁰.

¹¹⁴ In *Necr.* n.235, p.423-426 datur curriculum vitae et in notis documenta ex Archivo Ragusino, notitiae ex auctoribus excerptae. Non pauca reperiuntur in WADDING, *Annales*, voll. 18-21, Ad Claras Aquas 1933-1934. Cf. S. PETROV, *Bonifacije fra* (De Stephanis, Drkolica, Ragusinus), in *Hrvatska Enciklopedija* III, Zagreb 1942, 63; G. GOLUBOVICH, *La questione de' Luoghi Santi nel periodo degli anni 1620-1638*, in *Arch.Franc.Hist.* 14(1921) 211; R. VARESCO, O.F.M., *I Frati Minori al Concilio di Trento*, *ibid.* 41(1948) 112-113; J. TYLŠER, *De Episcoporum Croatiae influxu in formationem Conc. Tridentini decretorum, praesertim quoad residentiam*, Romae 1959, 9-10; M. RONCAGLIA, O.F.M., *Le relazioni della Terra Santa con i Maroniti del Monte Libano e di Cipro dal 1564 al 1569*, in *Arch.Franc.Hist.* 46(1953) 417-419, 421, 430-435; PANDŽIĆ, *op. cit.*, 35, 113. In operibus E. FERMENDŽIN, O.F.M., *Acta Bulgariae ecclesiastica*, Zagrabiae 1887, 393 et *Acta Bosnae*, Zagrabiae 1892, 310-311, 314-316, 318-319, 335 documenta Nostrum respicientia inveniuntur.

¹¹⁵ A. ŠIMČIK, *Hrvat obnovitelj Božjeg Groba*, Zagreb 1936, est primus conatus biographiam extendendi.

¹¹⁶ *Necr.* n.235, p.425, nota.

¹¹⁷ In hac secunda editione p.IX-XX continent vitam, p.278-284 relationem de Sepulcro et Cruce Domini, scriptam an. 1570.

¹¹⁸ D. BALDI, O.F.M., *Enchiridion locorum Sanctorum*, Jerusalem 1955, XXVII et passim.

¹¹⁹ *Concilium Tridentinum*, ed. Societatis Goerresianae VIII, Friburgi Brisgoviae 1919, 367.

¹²⁰ *Op. cit.*, IX, p.6 (cf. et p.15). In duabus ultimis Sessionibus Concilii Tridentini, inter episcopos aderat et P. Jacobus Lukarević (Luccari), episcopus Tribunensis et Mercanensis, decreta Concilii subscribendo: « Ego Jacobus episcopus merchanensis et trebinensis subscripsi » (cf. PANDŽIĆ, *op. cit.*, 94-95; *Necr.* n.73, p.418; TYLŠER, *op. cit.*, 18).

Die 14 nov. 1564 a Pio IV episcopus Stagnensis creatus est¹²¹ et a Pio V ad Philippum regem Hispaniarum pro Terrae Sanctae negotiis nuntius missus. A Gregorio XIII nominatus fuit visitator apostolicus regnorum et provinciarum Dalmatiae, Sclavoniae, Croatiae, Hungariae, Bosniae, Serviae, Valachiae, Moldaviae, Bulgariae, Macedoniae, Albaniae aliorumque locorum Turcarum et infidelium¹²². Tandem cum zeli causa Stagni pertulisset plurima, profugus Themesvariae, civitatis suae visitationi concreditaе, a. 1582 suam exiit mortalitatem an. 1582¹²³.

Pater Aloisius Čurčija (Ciurcia, 1818-1881), studiis peractis, officii secretarii Provinciae, definitoris, guardiani et Ministri Provincialis functus est. Die 27 sept. 1853, trigesimum quintum annum agens, episcopus Alexiensis a Pio IX electus est¹²⁴ et die 6 febr. 1859 ad dioecesim Scodrensem translatus¹²⁵. Die 27 iul. 1866 nominatus est Vicarius apostolicus Aegypti pro Latinis, cum titulo archiep. Irenopolitani, et die 24 sept. eiusdem anni Delegatus apostolicus Aegypti et Arabiae pro Orientalibus. Pro gregis sibi commissi necessitatibus ad varias nationes Europae se contulit, Romam vero petiit occasione centenarii S. Petri a. 1867, iubilaei episcopalis Pii IX an. 1877, a quo decoratus est titulo praelati domestici, solio pontificio assistentis et patricii Romani.

De parte eius in Concilio Vaticano I habita notitias, P. U. Betti in studio de fratribus Minoribus in Concilio Vaticano publici iuris fecit¹²⁶. Indicto Concilio, libellum gratulatorium ab episcopis S. Pontifici oblatum subscripsit¹²⁷, insuccessum vero suae missionis tradendi scilicet epistolam *Arcano divinae Providentiae consilio*, die 8 sept. 1868¹²⁸, patriarchis Copto et Graeco, qua cum eorum episcopis ad Concilium invitabantur, in duabus epistolis ad card. A. Barnabò, Praefectum S. Congr. de Prop. Fide, directis exposuit¹²⁹.

Interfuit tribus prioribus Sessionibus¹³⁰. Die 24 ian. 1870 electus

¹²¹ EUBEL, *Hierarchia* III, 304. De P. Bonifatio quaedam dantur in elucubratione L. GRAMATICA, S. Carlo Borromeo e la Palestina, in *La Scuola Cattolica*, ser. V 17(1919) 365 n.1. Auctor edidit litteras P. Bonifatii die 22 dec. 1579 ad S. Carolum Borromaeum et S. Caroli Borromaei ad Bonifatium, ibidem, p.365-366 de peregrinatione Sancti in Terram Sanctam.

¹²² WADDING, *Annales*, XXI, n.282, p.295.

¹²³ FERMEŃŽIN, *Acta Bosnae*, 335.

¹²⁴ GAMS, *op. cit.*, 393.

¹²⁵ *Ibid.*, 392. Cf. *Necr.* n.907, p.562-564; PANDŽIĆ, *op. cit.*, 51.

¹²⁶ U. BETTI, O.F.M., *I Frati Minori al Concilio Vaticano*, in *Anton.* 32(1957) 17-46, 203-260. De vita cf. *ibid.*, p.21.

¹²⁷ J.D. MANST, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, vol. 49, Arnhem 1923, 255.

¹²⁸ *Giornale di Roma*, 22 sett. 1868, 895, col. 1-2.

¹²⁹ BETTI, *op. cit.*, 41-43.

¹³⁰ *Ibid.*, 204.

est membrum Congregationis seu Deputationis pro rebus ritus orientalis et missionum apostolicarum¹³¹. Petitioni 24 episcoporum Ordinis pro definitione infallibilitatis subscripsit etiam « † Fr. Aloysius, archiepiscopus Irenopolitanus »¹³². Subscripsit variis postulatis, inter quae postulatam ut quaestio de infallibilitate quam primum proponatur¹³³; propositionem in gratiam piae operae a Propagatione fidei nuncupatae¹³⁴; postulatam ut piae operae Scholarum orientalium et solemnitas ab Ecclesia consecratio et nova commendatio tribueretur¹³⁵; postulatam pro nigris Africae centralis¹³⁶; postulatam pro dogmatica definitione Assumptionis corporeae in caelum Deiparae¹³⁷; postulatam pro inserendis salutationi angelicae verbis: Virgo Immaculata¹³⁸; postulatam ut debiti honores S. Joseph, beatae Mariae Virginis sponso, a Concilio in sacra liturgia decernerentur¹³⁹; postulatam de invitatione faciendae Hebraeis ad agnoscendum Messiam salvatorem Jesum¹⁴⁰.

Post definitionem Litteram pastorem de infallibilitate Pontificis direxit ad clerum et populum ritus Latini in Aegypto¹⁴¹. Huius praesulis elogium necrologicum sic sonat:

« Praelatus acie ingenii praeclarus et virtutibus eximius, post tot tantaque in bonum Religionis et Ecclesiae laudabiliter expleta munia, mala valetudine affectus officio suo renunciavit, et ex Aegypto iam discessus, dum iter faceret Romam venturus, in mari apoplexiae morbo correptus, cursum vitae in navi complevit die 14 iul. an. 1881 »¹⁴².

*De archivo et bibliotheca*¹⁴³.

Praesumere legitime possumus, non vero documentis probare, initia archivi et bibliothecae cum initiis conventus incidere. Ordinatio

¹³¹ MANSI 50, 358, 396.

¹³² MANSI 51, 663.

¹³³ MANSI 51, 706.

¹³⁴ MANSI 53, 463.

¹³⁵ MANSI 53, 572.

¹³⁶ MANSI 53, 635. Subscripsit: « Fr. Aloysius aep. Irenopolitanus vic. et delegatus apostolicus Aegypti, Arabiae et Africae centralis ».

¹³⁷ MANSI 53, 485.

¹³⁸ MANSI 53, 594: « Sancta Maria, Virgo Immaculata, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus ».

¹³⁹ MANSI 53, 583.

¹⁴⁰ MANSI 53, 558.

¹⁴¹ *Lettera pastorale sulla Pontificia infallibilità al Clero e popolo del Rito latino in Egitto*, Alessandria 1871.

¹⁴² *Acta Ordinis Minorum* 2(1882) 14. Cf. etiam *Cenno biografico di Monsignor Luigi Ciurcia*, Ragusa 1881.

¹⁴³ De bibliotheca plures scripserunt, inter quos PP. U. Talijs et F. Jurić, sed expositionem magis completam cum copiosa bibliographia inveniri teneo in BRLEK, *Rukopisi*, p.7-37: *Knjižnica Male Braće u Dubrovniku, njezina prošlost i sadašnjost*.

nes Constitutionum quae de libris (i.e. codicibus) servandis, scribendis, de libris studentium et fratrum defunctorum agunt, rarae non sunt. Rector et Civitatis Ragusinae Consilium litteris die 9 iul. 1440 a Ministro Provinciali fr. Nicolao de Dyrrachio postulant quod libri fratrum Ragusinorum, iuxta Constitutiones Ordinis, ad Ragusinum conventum devolvantur¹⁴⁴. Eodem die Ministrum Generalem rogant ut recuperari faciat volumina librorum « in quadam capsula existentium », in « cedula praesentibus inclusa » descripta, quae post recessum fr. Andreae de Alatrio reperta sunt deficere¹⁴⁵.

Initio saec. XVI Georgius Krusić, ep. Tribunensis, dimidiam partem bibliothecae « quam longo tempore et multo studio » comparavit, cum ducatis quinque « pro catenellis librorum », conventui reliquit¹⁴⁶. Documenta et alios benefactores ac benemeritos memorant, sed in destructione igne durante terraemotu an. 1667 causata, archivum et bibliotheca, miserrime perierunt, de qua destructione fr. Vitalis Andrijašević testimonium fert:

« Bibliothecam vero absque lacrimarum imbre memorare nequeo, in cuius dispositione octo ipse ego annos consumpseram, in qua septem millia et quingenta servabantur volumina, et cuiuscumque litterariae professionis erant materiae, hic antiquissimorum gemmae pretiosissime colligebantur, et modernorum non deerant praeclara quaeque; hanc picturarum pretiosissimarum corona circumdabat, in medioque situm erat Archivium memoriis et scripturis cuiuscumque aetatis plenum, quae omnia inimicus consumpsit ignis »¹⁴⁷.

Pulchra est conclusio huius bibliothecarii benemeriti:

« Haec omnia tibi memoravi, ut Patrum nostrorumque diligentiam antiquorum perspicere otia quisque expellat virtutesque imitetur et memorias colligat, et conservet, ut iunioribus sit exemplar Christi vestigia, et electorum eius prosequendi »¹⁴⁸.

Immediate post terraemotum fratres ecclesiam et conventum reparare conati sunt. Pater Augustinus Flavius Macedonić, S. Theologiae lector generalis,

« consulturus conventui a terraemotu quassato flammisque ferme assumpto, Hispanias perrexit; eleemosynamque a Regina Matre impe-

¹⁴⁴ *Lettere e Commissioni di Levante*, XII (1435-1440), f.190r, in *Misc.Franc.* 14(1912-1913) 123, n.44.

¹⁴⁵ *Ibid.*, f.190v : ed. cit., 123-124, n.45.

¹⁴⁶ *Testamenta Notariae* (1512-1516), f.84vss; *Distributiones Testamentorum*, XXVII (1509-1515), f.211 et f.212v.

¹⁴⁷ *Acta et Decreta Capitulum et Congregationum Provincialium ab an. 1649-1714*, f.3. Cf. brevem relationem de bibliothecae destructione in P.L. CEKINIĆ, *Istoria e privilegi della Osservante Provincia di Ragusa* (Mss), f.369, 343-344; BRLEK, *Rukopisi*, tab. 1.

¹⁴⁸ *Acta et decreta*, f.3. Chori ad usum, septem servabantur volumina praeclara, de quibus viatores loquuntur. Cf. *Acta et decreta*, f.2v; CEKINIĆ, *Istoria*, 152, 157; DOLCI-SLADE, *Monumenta*, 66-67; J. TADIĆ, *Promet putnika u starom Dubrovniku*, Dubrovnik 1939, 109-110, 195.

travit, qua Bibliothecae dormitorium extractum est, et Bibliotheca ipsa permultis libris instructa »¹⁴⁹.

Anno 1675 libri e conventu Stagnensi, an. 1680 et e conventu Insulae Mediae in bibliothecam translati sunt; alii fuerunt empti, alii ex donationibus episcoporum v.g. V. Lupi, B. Albertini, U. Bogdanović acquisiti. In conventu exsistebat et exsistit saecularis traditio omnia scripta, picturas et sculpturas colligendi, et proprie huic laudabili traditioni bibliotheca suum statum actualem debet.

Praeter alios pro bibliotheca benemeriti sunt P. Vitalis supra memoratus, P. Benedictus a Ragusio, sed praesertim P. Innocentius Čulić († 1852), cuius industria maior pars manuscriptorum in bibliothecam intravit, quod probat et catalogus a I. Kaznačić confectus¹⁵⁰. Post eum PP. C. Mariotti, U. Taliija, M. Brlek aliique de augmento, ordinatione archivi et bibliothecae strenue adlaboravere.

In catalogo I. Kaznačić index 1133 manuscriptorum summarias notitias praebet, e contra in descriptione a P. Brlek curata 293 manuscripta methodo moderna cum notitiis descripta inveniuntur¹⁵¹.

Inter manuscripta non pauca serviere pro editionibus scriptorum Ragusinorum ab Academia Zagrabiae editorum. Dantur collectiones carminum, orationum, epistolarum; versiones operum spiritualium et profanorum, reportationes studentium et scripta professorum, libri orationum et meditationum, parva officia, *Rituale romano-seraphicum* (saec. XVI), *Martyrologium Romano-Seraphicum scriptum an. 1541* a P. Bernardino Gučetić¹⁵²; I. Djurdjević, *Rerum Illyricarum sive historiae Rhacusanae P.I. unacum collectione elucubrationum necnon documentorum de Illyrico*¹⁵³; G.M. Matijašević (Mattei), *Zibaldone*, 3 voll., qui historiam ecclesiasticam Reipublicae Ragusinae extendere cupiens, tribus magnis voluminibus materiam collegit, quae tot scriptoribus et investigatoribus serviebat pro eorum studiis et elucubrationibus. Non pauca documenta transcripta, originalibus deperditis, fons unicus pro historia remanserunt¹⁵⁴.

Pro Ordine magni momenti est *Codex 190*, scilicet Joannes de Rupella, *Sermones festivi et dominicales et de communi sanctorum*, mm. 165×115, ff. [8]+CCLXIII+209, saec. XIV-XV, in quo inve-

¹⁴⁹ *Necr.* n.515, p.446-447.

¹⁵⁰ I. KAZNAČIĆ, *Biblioteca di fra Innocenzo Ciulich nella Libreria de' RR. PP. Francescani di Ragusa*, Zara 1860.

¹⁵¹ BRLEK, *Rukopisi*, 39-291. De his catalogis cf. V.J. VELNIĆ, *Stogodišnjica dvaju tiskanih Kataloga Biblioteke Male Braće*, in *Beretićeve Zbornik*, Dubrovnik 1960, 297-304 (résumé p.305).

¹⁵² C. FISKOVIĆ, *Dubrovački sitnoslikari*, in C. FISKOVIĆ - K. PRIJATELJ, *Prilozi povijesti umjetnosti u Dubrovniku*, Split 1950, 10-11.

¹⁵³ Cf. BRLEK, *Rukopisi*, 258-260.

¹⁵⁴ Cf. KAZNAČIĆ, *Biblioteca*, n.265-267, p.78-99.

niuntur 256 sermones de sanctis, sequuntur sermones dominicales ab Adventu, in quolibet dominica plures, sed aliqui incompleti¹⁵⁵.

Inter alia inveniuntur *Statutum Jadrae* (saec. XV); *Capitolare della Dogana Grande*; *Breviarium Romano-Seraphicum* (saec. XIV-XV); *Kalendarium Moschoviticum*; *Dictionarium latino-ruthenicum*; J.D. Scoti, *Super quartum Sententiarum* (saec. XV); *Synodus Dioecesis Stagnensis an. 1713*; P. Gregorii Budisaljčić, O.P., *Expositio super 3. et 4. Dist. de Consecratione* (saec. XVI); *Dictionaria italico-illyrica*, etc. etc.

Pro catalogo centrali Academiae, quae Zagrabiae sedem habet, factae sunt descriptiones 137 incunabulorum, quae in bibliotheca servantur, quibus J. Badalić usus est pro compilatione et elaboratione operis *Incunabula quae in populari Re Publica Croatia asservantur*¹⁵⁶. Non est possibile opera et editiones auctorum franciscanorum breviter enumerare, qua de re lectorem ad opus relatum remittere debemus¹⁵⁷. Inveniuntur editiones operum Astesani de Asti, Angeli de Clavasio, Nicolai de Auximo, Bartholomaei Anglici de Glanvilla, S. Bonaventurae, Joannis Duns Scoti, Ubertini de Casali, Petri Dorbelli, J. Bapt. de Trovamala, Petri Tataretii, Roberti Caracciolo, Francisci Mayronis, Nicolai de Lyra etc.

Archivum Provinciae olim Ragusinae et archivum musicae ordinata sunt et pro longe maiore parte librorum (plusquam 40.000) et ephemeridum existit catalogus recenter exaratus, quae omnia investigatores scientificos ad studia peragenda invitant.

Dum itaque hisce lineamentis, quae per summos quasi apices concinnavimus ad fidem documentorum et ad fidem studiorum recentiorum finem imponimus, sincere fatemur decursu pervestigationis non paucas nec faciles difficultates nobis occurrisse, quas superare et solvere oportebat; neque proinde praesumere possumus, hoc primum conamen historiae conventus suis imperfectionibus undequaque carere; attamen si disquisitio nostra, hisce non obstantibus, aliquantulum lucis ad meliorem cognitionem condicionum, vicisitudinum atque complexae activitatis conventus S. Francisci in civitate Ragusina (Dubrovnik) pro Ecclesia, Ordine et natione catholica croata contulerit, iam operae laborisque pretium abundans obtinuimus.

¹⁵⁵ Cf. BRLEK, *Rukopisi*, n.190, p.180-183 et JOHN DE LA ROCHELLE, O.F.M., *Eleven Marian Sermons*, edited by Kilian F. Lynch, O.F.M., Paderborn 1961.

Cf. M. BRLEK, *Tri rukopisna kodeksa iz dubrovačke prošlosti*, in *Anali Hist.Inst. u Dubrovniku* III, Dubrovnik 1954, 135-147.

¹⁵⁶ J. BADALIĆ, *Incunabule u Narodnoj Republici Hrvatskoj*, Zagreb 1952.

¹⁵⁷ *Op. cit.*, 244 sub titulo: *Knjižnica Male braće (Franjevački samostan)* [MB] inveniuntur numeri incunabulorum bibliothecae Fratrum Minorum in libro descriptorum.

MISCELLANEA MELCHOR DE POBLADURA

I

BIBLIOTHECA SERAPHICO - CAPUCCINA
CURA INSTITUTI HISTORICI ORD. FR. MIN. CAPUCCINORUM

23

MISCELLANEA
MELCHOR DE POBLADURA

VOL. I

ROMAE - 1964